



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium IV. Ad quid Religiosus obligetur vi votorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

extra, est tantum veniale; quale nequidem erit, si fiat ex causa cum praesumpta saltem venia, quando conveniri non potest Superior, *Castrop. p. 7.*

94 Q. 16. *An Religiosus licitum sit audire vel tradere Jus Civile. R. Hoc resolvetur n. 172.*

95 Ibidem decidetur, an Religiosus possit profiteri Canones.

DUBIUM IV.

96

Ad quid Religiosus obligetur vi votorum.

“**R**esp. I. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium; Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretiosissima, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam & independentem, in perpetuum abdicavit. Constat ex capite, *Non dicatis* 12. q. 1. c. *Monachi, de Stat. Monach.*

“ Dicitur I. *Bona temporalia*: quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae & similia. Item jus eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. Sanch. moral. l. 7. c. 18. n. 25. Less. l. 2. c. 4. d. 5. Lay. l. 4. t. 5. c. 7. n. 2.*

“ Dicitur II. *Dominium vel facultatem disponendi*, propter Religiosos Societatis *JESU*, qui post emissam vota retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent jus actuale de iis pro suo arbitrio disponendi vel utendi; in cujus abdicatione essentia Religiosae paupertatis consistit. *Sanch. n. 23. & 28. Laym. n. 3.*

“ Dicitur III. *Independentem*: quia Religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris, quod nomine

mine proprii non comprehenditur. *Lay. n. 12. Vn-^{de}*
de sequentes Casus resolvuntur :

I. Non repugnat voto paupertatis, quod Reli-
 giosi habeant bona in communi, etiam immobilia:
 Imò, sine consensu Papæ, non possunt se obligare
 communitati, quod ea nunquam sint acquisituri;
 quia præjudicarent immunitati Ecclesiasticæ. *Lug.^{de}*
Resp. mor. l. 3. d. 8. Neque possunt fructus seu re-
 ditus à donatore destinatos ad ea emenda, applica-
 re ad usus alios, v. g. solvenda debita, &c. *Ibid. d. 10.*

II. Non repugnat paupertati, si Religioso detur vil-
 la, vel alius locus administrandus nomine Monaste-
 rii idque in Monasterii commodum: Imò nec repu-
 gnat, si detur in cōmodum vel incommodum ipsi-
 usmet Religiosi aliquod Ecclesiasticum Beneficium:
 Quo casu competit ei administratio reddituum, quos
 ad sui sustentationē piasque causas applicare potest,
 juxta Canonum concessionem: quod reliquum est,
 pertinet ad Ecclesiam vel Beneficium cui servivit:
 ac consequenter donationes de redditibus beneficii
 factæ ab eo in usus non pios, invalidæ sunt, & con-
 tra justitiam, neque accipientes possunt tutâ consci-
 entiâ retinere. *Suar. to. 4. de rel. l. 5. Mol. de justit.^{de}*
to. 2. d. 276. &c. communiter. Ratio, quia non
 habent dominium dictorum reddituum, *Lugo de just.^{de}*
d. 4. s. 1. Nihilominus *VVading. apud Dia. p. 8.^{de}*
2. 6. R. 133. probabile censet, quod etsi illicitæ, va-
 lidæ tamen sint istæ donationes: idemque multò
 magis de donationibus Episcoporum regularium
 censet cum eodem *Dia. R. 132. &c. contra Sanch.^{de}*
Suar. &c. Ad Monasterium verò pertinent omnia
 alia, quæ aliunde, quàm ex Beneficio acquiruntur,
 nisi ex consuetudine cedant Ecclesiæ. *Nav. Azor. c.^{de}*
1. l. 12. c. 10. q. 6. & 7. Mol. n. 7. Lay. l. c. 7.^{de}
Trid. sess. 25. c. 2. de Regul.

III. Non tantum jure antiquo, sed etiam post
 Tridentinum probabile est, Religioso in monaste-
 rio, vel juxta illud manenti, annuatim assignari pos-
 se redditum, ut ex eo vivat suo commodo & incom-
 modo, revocabiliter tamen ad nutum Prælati. Si-
 militer Monialibus victum præberi posse; ita ut
 ipsæ sibi labore manuum vestes comparent, Ita
 contra *Azor. Less. & Mol. docent Sanch. c. 22.*
Tan. Lay. c. 7. Qui addit, talem consuetudinem,
 ubi viget, non damnandam: probat tamen tolli
 debere, si commodè possit, monetque, non sine ur-
 gentissima causa introducendam.

IV. Peccat contra paupertatem Religiosus, si
 quid, seu domi seu foris, etiam ex iis, quæ ad vi-
 ctum & vestitum pertinent, sine Superioris consen-
 su expresso, tacito vel præsumpto accipiat, retineat,
 absumat, permutet, alteri donet, vel accommodet.
 Ita *Less. l. 2. c. 41. d. 8. & d. 9. n. 79. Sanch. c.*
19. n. 53. & c. 21. n. 32. Suar. t. 3. de relig. l. 8.
c. 17. Lay. n. 4. Azor c. 12.

Dixi I. *sine consensu tacito*: quia si Prælati
 sciat subditum aliquid accipere, retinere vel expen-
 dere, & non prohibet, cum facilè possit, tacitè con-
 sentire & approbare videtur. Unde *Sanch. n. 7.* ait,
 si in aliqua Religione consuetudo viget aliqua reci-
 piendi vel expendendi sine licentia, id excusari per
 tacitam licentiam Prælati, qui id tolerando, con-
 suetudinem rationabiliter declarat: Et si Prælati
 subdito donet, vel donari permittat imagines, ro-
 saria &c. Sciens non indigere iis omnibus ad pro-
 prium usum, tacitè facultatem concedere censetur
 donandi aliis, ut notat *Lay.*, monet tamen *Less.*
 talem consensum non præsumendum, nisi in rebus
 parvis, & crebrò occurrentibus.

Dixi 2. *vel præsumpto*: hic enim locum habet,
 cum

cùm res urget, Superiorque non est præfens: Ad hunc autem, ut vult *Sanch. & Bon.*, non sufficit, quòd Superior libenter concederet, si peteres, (alioqui omnes donationes à Prælati permitti solitæ, licerent sine venia, quod cederet in everfionem disciplinæ Regularis) sed requiritur, ut ipse censeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumstantiis te petere. Addit tamen *Suar. & Less.* excusari à mortali, si præsumatur affectus Superioris libenter rem concessuri, si rogaretur. Ratio, quia tunc censeatur rem habere ex voluntate Superioris, saltem virtuali, quæ in illo affectu latet; ideoque si Superior tantùm sit invitus quoad modum, venialiter quidem peccari, non tamen contra paupertatem, docent *Suar. Sanch. Lay. n. 4.*

V. Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas, aut culpabiliter amittas, vel destruas latè culpâ. Ratio, quia in iis tantùm habes usum facti, idque precariò, quamdiu Superiori videbitur: estque actus dominii, posse rem arbitrato suo destruere. *Sanch. c. 19. n. 115 Lay. n. 6. Less. n. 79.*

VI. Item peccas, si quid abscondas, ut illud liberæ dispositioni Superioris subducas. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores, quidquam possunt expendere, contra quàm Regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio, quia non sunt domini honorum communium, sed tantùm administratores. *Lay. n. 9. ex S. Thom. &c.*

VII. Si Prælati permittat subdito, ut bona ex quacunque causâ aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, & statum suum dedecentia, penes se habeat, peccat & Prælati & subditus contra votum

"paupertatis; estque talis donatio, seu alienatio irri-
 "ta, & restitutioni obnoxia. *Nav Syl. Valent. Moh.*
 "Aq. *Less. d. 9. Sanch. Lay.* Quia Prælati non potest
 "dare veniam majorem, quàm ipse habet: ipse au-
 "tem, cum non sit dominus non potest bona suo
 "arbitratu & inutiliter expendere; sed tantum in
 "Religionis necessitatem, & utilitatem: *vid. C. Lug.*
 "de *just. d. 3. n. 191*
 "Resp. II. Religiosus voto Castitatis obligatur, ut
 "abstineat se ab omni voluntaria delectatione vene-
 "rea, interna & externa; proindeque si quis contra
 "castitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriæ &
 "sacrilegii. *Less. n. 77. & Lay. c. 8.*
 "Resp. III. Religiosus ex voto Obedientiæ, obliga-
 "tur ad omnia, quæ Superior præcipit, secundum
 "Regulas & Constitutiones Ordinis, sive directè &
 "expressè, sive indirectè & implicitè. Et quidem si
 "præcipiat in virtute S. Obedientiæ, in nomine Do-
 "mini nostri Jesu Christi, vel simili formâ, tenetur
 "obedire sub mortali, quia intendit obligare quan-
 "tùm potest: sub veniali autem, si aliâ formâ utatur,
 "vel sub nulla; quod consuetudo in Societate
 "JESU approbat. *v. S. Tho. 2 2. q. 104. Sylv.*
 "*Sanch. l. 6 mor. c. 1. Less. d. 9 Lay. c. 9. n. 8.*
 "Porro quæ indirectè pertinent ad Regulam,
 "Sylv. & quidam alii ampliant ad illa, quæ faciunt
 "ad pleniorum ejus observationem, *Sanch.* tamen
 "arctat ad res valde necessarias, sine quibus Regula
 "commodè servari nequit, alioqui enim Superior
 "quasvis corporis macerationes præcipere posset,
 "ordinantur enim ad pleniorum observationem
 "Regulæ. *Lay. l. 4. t. 5. c. 9. n. 11. Less. d. 9. Unde re-*
 "solves.
 "I. Non tenetur subditus obedire in iis, quæ sunt
 "vel contra Regulam, (nisi Superior in ea possit dispen-
 "dispen-

dispensare, & legitima causa dispensandi subſit) vel
 ſupra Regulam, ut eſſent magnæ macerationes (niſi
 in pœnam, vel ad obligationem votorum neceſſa-
 riâ,) vel ut acceptet Episcopatum, *Dian. p. 62. 8.*
R. 33 & alii ſex: vel infra Regulam, ſcilicet vana
 (niſi præcipiat ex cauſa quæ ſit ſecundum Regulam,
 v. g. ut obedientia exerceatur) Nec refert, quod Re-
 gulæ jubeant in omnibus obedire, id enim non de
 obligatione voti, ſed obedientiæ perfectione intelli-
 gitur, Ita *Suar Sanch. c. 2. & Lay.*

II. Si Regula Ordinis ſub peccato obliget, ejus
 transgreſſio eſt contra votum, & ſacrilega. Ratio,
 quia talis Regula non eſt minùs præceptiva, quàm
 vox Superioris, & ſubditus promittens obſervatio-
 nem Regulæ, eo modo, quo ipſa intendit, ſe obliga-
 re cenſetur: proindeque Carthuſianus v. g. carnes
 edens, & Franciſcanus ſeriâ ſextâ non jejunans, &
 contra obedientiam, & contra temperantiam pec-
 cat. *S. Tho. in 2. d. 44. q. 2. a. 3. Val. Sanch. c. 1. & 4.*
Vaſq. Rodriq. Lay. n. 6. Escob. & c.

III. Si Regula ſub peccato non obligat, transgreſ-
 ſor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ra-
 tio, quia talis Regula non continet propriè præce-
 ptum, ſed tantum eſt ordinatio ſeu monitum, ob-
 ligans tantum ad pœnam, ſi imponatur. *S. Tho. Lay.*
n. 7 & c. Hinc nec transgreſſio illius ex rationabili
 cauſa & bono fine, ſeu ex motivo virtutis facta, v. g.
 ſi extra tempora loquatur cum ſocio, ut mœſtum
 conſoletur, eſt peccatum: erit tamen veniale, ſi ex
 negligentia, torpore animi, aliove inordinato affe-
 ctu fiat. *Lay. l. c.* Quem ut plurimum concurrere,
 adeoque rard omni culpâ vacare putant *Valent.*
Sanch. & Suar. Qui addunt, quod ſi quis frequenter,
 & quaſi per conſuetudinem, Regulam transgredia-
 tur, Religioſam diſciplinam graviter perturbet,

“eaque ex causa in periculo expulsionis se consti-
 “tuat, peccet mortaliter. *Lay. c. 9. n. 9. Sanch. n. 18.*
 “*v. supra du. 2.*

“ IV. Et si Capitulares novum statutum condere
 “possint, quo ipsi, aliique postmodum professionem
 “edituri, obligentur; antè tamen professi, qui in il-
 “lud non consenserunt, eo non obligantur, si ad Re-
 “gulam Ordinis nec directè, nec indirectè spectet.
 “*Laym. n. 10.* Nisi tamen statutum fiat in Capitulo
 “Generali, vel saltem Provinciali, (juxta cujusque
 “Ordinis institutum) concurrente majore parte sus-
 “fragiorum; & non sit Regulæ difforme. *vid. Escob.*
 “*de leg. E. 1. c. 2.* Ratio, quia quod omnes tangit, ab
 “omnibus debet approbari, juxta *Reg. 19. in 6.* Addit
 “*Lay. & Sanch. ex Sylv. & Azor. tom. 1. l. 13. cap. 11.*
 “*q. 19. Less. d. 9. n. 74. in fine.* Nec Pontificem posse
 “Religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem,
 “quàm Instituti prima forma postulat, quia obli-
 “gatio obediendi, etiam Pontifici, provenit ex voto,
 “quod factum fuit secundùm proprium Regulæ In-
 “stitutum: Si tamen Regulæ reformatio necessa-
 “rium medium esset ad Ordinis conservationem, ad
 “eam Prælatus cum Capitulo, multòque magis Pon-
 “tifex, illos cogere potest, quando ad hoc se implicite
 “quisque obligasse censetur. *Sylv. Less. Sanch.*
 “*Lay. ll. cc.*

“ V. Et si consuetum non sit nec consultum, ut Præ-
 “lati sub peccato præcipiant actus internos, proba-
 “bile tamen est fieri posse, ut docet *Laym. Suar. &c.*
 “Ratio, quia verisimile est, quòd aliqui Religiosi ad
 “id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum
 “Deo tradant.

“ *Quæres,* An subditus teneatur obedire, si dubi-
 “tet, utrùm sit res licita, quam Prælatus jubet, vel
 “justa causa imperandi.

Resp.

Resp. I. Communiter teneri, quia tunc melior⁶⁶ est conditio Superioris, qui est in possessione potestatis præcipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est jure, quod habet; nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis; cum habeat debitum parendi.

Resp. II. Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio, quia in dubio favendum est reo, eique de cujus damno agitur. Et si enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione juris, quo potest se à periculosis rebus conservare. *Sanch. 6. mor. c. 3. n. 24. alii que.*

A D D E N D A.

Q. 17. *Quomodo aliquis possit ante vel post ingressum Religionis disponere de rebus suis. R.* Quod attinet ad illum, qui vult ingredi Societatem *JESU*, videri debent dicta l. 3. p. 2. à n. 1126. Possunt tamen quoad illum & alios adhuc hinc addi seqq.

§. I. Probabilius est, quòd decretum *Trid. Ses. 25. c. 16.* de Reg. prohibentis fieri resignationes bonorum, tantum intelligatur de illis, quæ fiunt post, non autem ante ingressum in Religionem, uti insinuatum est l. 3. p. 2. n. 1126. : putantque *Hann. de just. T. 2. tr. 6. n. 216. & Pirh. l. 3. t. 26. n. 55.* tantum intelligi de renunciatione inter vivos. De resignatione Beneficii Ecclesiastici, vide dicenda n. 993.

§. II. Renunciatio, quæ fit per testamentum aut causâ mortis vel professionis, secundum *Sanch. in Decal. l. 7. c. 5. Barb. de potest. Episc. alleg. 99. n. 32. Sylvium V. Societas IESU Cas. 2. Mangion. & alios* semper revocari potest; censentque in dubio præsumendum esse, quòd facta sit causâ professionis secuturæ: *Castrop. t. 16. d. I. p. 17. n. 12.* putat certum esse,

esse, quod renunciatio facta à Novitio secundum formam à *Trid.* præscriptam revocari non possit, alioquin ad eam non requirerentur tam graves circumstantiæ, cum Novitius quolibet tempore novitiatus & absque licentia Episcopi possit facere renunciationem revocabilem: hæc tamen ratio non videtur sententiam illam reddere certam, nam ad quodvis testamentum requiruntur graves solennitates; item, ut Episcopus testari possit, requiruntur præter licentiam Papæ etiam aliæ solennitates, & tamen ejusmodi testamenta manent revocabilia, ideò enim sunt tales solennitates, ut secutâ professione vel morte possit hæres, legatarius vel donatarius jure agere per interpellationem Judicis, quod aliàs non posset: nihilominus tenent cum communi *Sanch. n. 57. Barb. Pirh. t. 31 n. 92.* esse irrevocabilem.

99 §. III. Si Novitius moriatur, antequam sit validdè professus, probabilius est, secundum dicta n. 5. renunciationem factam etiam secundum formam *Trid.* esse invalidam, quia expressè additur, *ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secutâ professione*: oppositum tamen tenent *Suar. & Pirh. n. 91.*, quia videtur tum cessare causa dispositionis, quæ est, ut non minuatur libertas pro egressu.

100 §. IV. Quando renunciatio bonorum fit à professuro expletis 10. mensibus novitiatus, quamvis professio subsequuta sit irrita, quocumque tamen tempore postea ratificatur vel expressè vel tacitè, hoc ipso etiam confirmatur renunciatio, *Rodriq. Sanch. n. 56. Lugo in resp. Mor. l. 3. d. 16. n. 5.*

101 §. V. Probabilius est cum *Sanch.* contra alios, quod nequidem mutuum dari possit Monasterio ex bonis Novitii, quamvis hic etiam 16. annis major esset: poterunt tamen parentes Novitii dare ex suis bonis, cum jure repetendi, si filius non profiteatur.

Prohi-

Prohibetur etiam à *Trid.*, ne aliquid alicujus momenti, attentis facultatibus Novitii, detur Monasterio tempore novitiatus à Novitio, excepto victu & vestitu, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Si autem res magni momenti datae sint, jubet reddi, etiam cum fructibus, uti notat *Sanch.* Atque hæc etiam intelligi debent de aliis obligationibus bonorum. *Sanch.* n. 20. Vide *Lott.* l. 3. q. 26. n. 23.

§. VI. Si Novitius Societatis JESU per testamentum disponat de rebus suis sine facultate Superioris, *Mol.* dicit peccare, sed *Sanch.* c. 3. n. 5. negat, quia est sui juris, & potest semper revocare: renunciatio tamen bonorum, quæ in Societate fit post vota, vel etiam ante vota post annum primum novitiatus, est absoluta & irrevocabilis, secundum dicta n. 56. 102

§. VII. Scholasticus Societatis JESU, quamvis illicitè, validè tamen testatur de rebus suis sine licentia Superiorum, *Suar. Sanch. Castrop.* d. 3. p. 2. n. 7. *Lugo* in resp. *Mor.* l. 4. d. 6. *Pediz.* t. 4. c. 2. à n. 157. contra *Mol.* & *Less.* Tale tamen testamentum est à Superiore irritabile, quamdiu testator vivit, sed non eo mortuo, quia voluntas defuncti non amplius subordinatur voluntati Superioris, cum non sit amplius subditus, *Lugo* de just. d. 3. n. 81. Et renunciatio in favorem Collegii extra Provinciam, aut constituti sub dominio alterius Principis, per se loquendo, non deberet admitti à Generali, si per hoc timeretur offensa; in favorem autem loci in Provincia admitti non potest nisi à Generali, nisi, uti nunc habet usus, non sit supra 100. Imperiales, ad quos licentiam dare potest Provincialis: potestque Generalis acceptare tale legatum etiam mortuo scholastico testatore, quia quamvis donatio secundum aliquos sit invalida, donatore 103

natore mortuo ante acceptationem, (cujus tamen oppositum cum aliis docet *Lugo* d. 23. n. 75.) nihilominus legatum est validum, summa enim est disparitas, quia omne legatum prius post mortem validè acceptatur: Et in mortis periculo, quando Generalis consuli non potest, potest Provincialis, aut eo absente, Superior localis dare Scholastico licentiam condendi testamentum: atque etiam sufficit licentia Provincialis, quando testamentum fit proximè ante professionem, per quam statim redditur omnino irrevocabile, *Lugo* d. 3. n. 116., Et idem est, si fiat proximè ante mortem sub ratihabitione Generalis. Vide etiam *Pelliz.* suprà.

104 Q. 18. *Quid præterea notandum sit circa votum paupertatis in Religioso. R. seqq.*

§. I. Paupertas violari potest purè utendo re aliquâ absque licentia Superioris, nam suppositâ illâ sententiâ, quòd usus etiam licitus facti separari possit à dominio, Religiosus sine licentia utens pecuniâ, cujus dominium relinquet apud externum, peccabit contra paupertatem & dicetur proprietarius, non quòd habeat dominium proprietatis, sed quia habebit vitium proprietatis, utendo illâ pecuniâ tanquam suâ; vovens enim paupertatem abdicat se potestate utendi re tanquam suâ, utitur autem re tanquam suâ, si illâ utatur independentè à voluntate Superioris.

105 §. II. Religiosus admittit vitium proprietatis & peccat contra paupertatem, si sine ulla licentia Superioris apud externum comedat aut bibat, quamvis enim externus dicat se velle retinere totum illius cibi & potus dominium, tamen talis modus consumendi censetur in æstimatione morali usus rei tanquam suæ. *Nec obstat*, quòd Religiosus non peccet admit-tendo, v. g. ignem aut suffitum sibi factum ab externo, nam in his habet se merè passivè, & externus di-
citur

citur illum ignem aut suffitum ipsemet consumere in gratiam Religiosi: è contrà si Religiosus comedat aut bibat, ipsemet consumit, & maximè activè se habet, cum illum cibum & potum acceptet in suum usum, sibi applicet, & eundem sumat in alimentum, ita *Suar. de relig. T. 3. l. 8. c. 11. n. 42. Sanch. in Decal. l. 7. c. 19. n. 53. Amic. de just. d. 14. n. 57. Tamb. in Decal. l. 8. t. l. c. 2. §. 5. n. 10. & alii contra Lugo de just. d. 5. n. 51.*, qui quamvis non affirmet absolutè, attamen inclinatur in eam sententiam, quòd Religiosus etiam comedendo & bibendo habeat se tantum passivè, sed oppositum satis constat ex dictis: rectè tamen notat *Tamb. n. 11. & c. l. n. 2.* sæpe excusari à mortali; ideoque etiam *Suar. n. 43.* dicit regulariter non perveniri ad mortale, nec, per se loquendo, regulariter æstimari materiam gravem in ordine ad paupertatem. Vide dicenda n. 133.

§. III. Professus non potest sibi acquirere dominium rei donatæ vel emptæ, hinc si det sæculari & vicissim ab eo recipiat aliquid, quod recipit, acquiritur Monasterio, quod dat, manet Monasterii, *Bonac. Baun. & alii*, quamvis oppositum dicant probabile *Pelliz. & Diana p. 10. t. 14. R. 2.*, putantes id, quod sæcularis reddit professo, censerì posse æquivalenter restitutionem illius, quod à professo accepit.

§. IV. Ut licentia Superioris excuset à violatione paupertatis, debet esse obtenta sine dolo; dolus autem est, si taceas id, quo declarato non solet dari licentia, vel si falsò exprimas tale, ob quod concedi solet, *Suar. Sanch. Castrop. tr. 16. d. 3. p. 23. n. 1.* Aliud est, si ea taceas vel falsò exprimas, quibus non obstantibus solet concedi licentia, quamvis difficilius, *Suar. Castrop. supra.*

§. V. Non est contra paupertatem acceptare aliquid sub conditione licentiæ obtinendæ, aut etiam don-

donare, dummodo res recuperari possit, si negetur licentia; quia cum conditio nil ponat in re, re ipsa suspenditur actus, *Lugo Pelliz. tr. 4. c. 2. n. 438.*

109 §. VI. Certum est ad licitè acceptandum vel expendendum sufficere licentiam præsumptam, quando Superior conveniri non potest, & urget occasio, *Suar. n. 3. Castrop. n. 6.* Item certum existimo, inquit *Castrop.*, sufficere licentiam tacitam, licet Superior conveniri posset: per hoc autem distinguuntur licentia præsumpta & tacita, quod præsumpta non supponatur de facto existere sed tantum existitura, si peteretur; & aliquando etiam vocatur interpretativa: è contrà tacita censetur de facto existere, vel quia virtute in alia expressa continetur, vel quia ex circumstantiis prudenter colligitur adesse: sic si Superior tibi concedat veniam peregrinandi, nec prohibeat aliquid recipere & recepta expendere, eo ipso censetur consensisse, nisi tibi providerit de necessariis, *Suar. n. 7.* Item si consuetudo sit aliqua dandi vel recipiendi, & Superior non revocet, eam approbat, *Suar. Sanch. Castrop.* Item si sciat aut videat fieri, & non prohibeat, cum posset, quia in dissimulatione continetur quædam approbativa voluntas, *Sanch. Castrop. Pelliz. n. 417.* secus esset, si difficulter impedire posset, eò quòd, v. g. timeret, ne domus turbaretur tuis querelis, tum enim purè permittit & non excusaris, *Nav. Mendoza, Rodrig. Suar. Sanch. Castrop.*

110 §. VII. Si licentia præsentem Superiorem sit tantum præsumpta, quia nempe credis Superiorem daturum licentiam, si peteres, & tamen non petis præ verecundia vel alio respectu humano, docent *Nav. Sanch. Castrop. Bardi de Consc. d. 6. c. 3. §. 9.* ad summum fore veniale ex illa operari, quia facis dependentem à voluntate Superioris saltem futura, si peteres: huic doctrinæ meritò contradicunt *Busenb. supra, Eliz.*

l. 4. q. 15. §. 1. in fine, *Lugo* d. 3. n. 124., nam si ad vitandum mortale sufficit credere, quod licentia daretur, si peteretur, nunquam petenda esset, nam vel creditur, vel non creditur danda; si creditur, jam non est opus petere, poterit autem ferè semper probabiliter præsumi dandam ab aliquo saltem mediatro Superiore; si non creditur, stultè petitur, ergo nunquam esset petenda in ordine ad vitandum mortale: itaque dicit *Lugo* n. 125. tum tantum posse sic procedi ex præsumpta licentia, quando Superior ita est invitus solum quoad modum, ut ratione modi, qui displicet, non sit etiam invitus quoad substantiam, solus enim modus tum manet contra voluntatem Superioris: de cætero si Superior ratione talis modi teneatur esse invitus etiam quoad substantiam, licentia præsumpta non sufficit, tenetur autem sæpe ex vi officii, etiam sub mortali, sic esse invitus, ne alioquin dissolvatur disciplina & observantia paupertatis: & simile dat *Lugo* de dispensatione, nam licet scias Superiorem hanc daturum, si peteres, tamen peccas operando illam non petitam, dum peti potest; admittit tamen n. 126. aliquando sufficere præsumptam ad hoc, ut Superior sit invitus tantum quoad modum, nam si ad sim Principi, qui ostendat se optare Reliquiarium meum, prudenter judico Superiorem non esse invitum, nequidem quoad modum, ut statim dem; si tamen Princeps optaret à me prius peti licentiam, & nihilominus eam non petitam statim darem, Superior adhuc non esset invitus quoad substantiam, sed tantum quoad hunc modum. Requiritur autem certitudinem moralem de futuro consensu Superioris, diximus l. 1. n. 821.

Objicies. Consensus præsumptus Domini excusat à furto, secundum dicta l. 3. p. 1. n. 946. & 1033. Item excusat à restitutione, secundum dicta l. 3. p. 2. n. 462.

n. 462., ergo similiter à violatione paupertatis. R. N. conf., quia cùm Dominus tantum attendat ad suam utilitatem, regulariter præsumitur, quòd displicentia talis modi non afferat displicentiam gravem quoad substantiam; è contrà Superior Religiosus debet attendere ad bonum commune Religionis, quod graviter pateretur, si invitus quoad talem modum non esset invitus quoad substantiam.

211 §. VIII. Si res extracta vel præsumpta licentia sit consumpta, non esse opus manifestare Superiori, putant *Suar. & Sanch.*, quod verum esse dicit *Lugo*, etiam si illicitè & absque ulla licentia esset consumpta, quia subditus non utetur amplius re illà, nec Superior potest amplius circa illam disponere: si tamen sit vendita aut donata alteri, manifestari debet, quia mansit Monasterii, quod habet jus repetendi.

212 §. IX. Si licentia tibi sit debita & injustè negetur, ita ut injustitia negationis teneat se ex parte Superioris, non ideo tibi licitus est usus, sicuti si injustè tibi negetur dispensatio, non ideo deobligaris: si autem licentia tibi ex parte tua debeat, ed quòd à Religione jus habeas, ut tibi concedatur, sufficit, ne votum violes, quia licentia tum jure ipso conceditur à Religione, hinc si Superior non suppeditet tibi necessaria ad victum vel vestitum juxta morem tuæ Religionis, licet simul negaret tibi licentiam acceptandi ab externis, licitè acceptares, nam saltem subordinatus ejusmodi Superior nequit te obligare ad paupertatem strictiorem promissâ, id est, ultra Religionis tuæ modum, *Castrop. n. 10.*; quæ tamen cautè intelligenda sunt, nam vix poterit prudenter præsumi veniam injustè negari à Superiore, qui habere potest ex circumstantiis causas nobis ignoras.

213 §. X. Si Superior illicitè det licentiam, *Nav. Sanch.* à n. 21. *Castrop. p. 23. n. 4.* dicunt subditum

illà

illā utentem peccare contra paupertatem, quia licentia illa est nulla : hinc dicunt ipsummet Superiorem ita utentem peccare contra paupertatem : contradicit *Lugo* n. 130., quia aliās subditus magis peccaret contra paupertatem, si Superiore mandante furaretur, quod quamvis concedant *Castrop. & Pelliz.* n. 419., tamen negant *Suar. & Sanch.* n. 55. Si dicas, subditum non furari sibi sed Monasterio, & ideo non esse proprietarium, similiter dico non expendere nomine suo sed Superioris, adeoque etiam non esse proprietarium : docet nihilominus recte *Lugo* à n. 131., & consentire videtur *Pelliz.* m. 437., quamvis talis subditus proprietarius non sit, cum propriā auctoritate nil usurpet tanquam suum, attamen posse peccare contra paupertatem, si non retineat statum pauperis, quem in se conservare tenetur.

§. XI. Si Superior det licentiam ad usus illicitos vel superfluos, *Nav. Sanch. Castrop. & Busenb.* ex eadem ratione dicunt tam Superiorem quàm subditum sic utentem peccare contra paupertatem, ac præterea ejusmodi licentiam esse invalidam, hinc si res pretiosa Religioso non sit nec putetur pro se vel aliis usui futura, uti si ei donetur lapis valens contra morbum comitiale, quo nec ipse nec alius, ubi erit, putetur laboraturus, docet *Less.* in auct. v. *paupertas Religiosa*, cas. 3., Superiorem non posse ei relinquere, si aliò migret: è contrà *S. Anton. Silv. Turrecrem. Less.* ipse alibi, *Tabien. Az. Graff.* aliique plures apud *Sanch.* n. 20. & cum *Lugo* n. 137. dicunt ejusmodi licentiam esse validam, adeoque subditum non peccare contra paupertatem, & videtur consentire *Pelliz.* n. 419., dicitque probabile *Diana* p. 3. t. 2. R. 65., quia si subditus cum licentia Superioris emat superflua, nemo dicet emptionem esse invalidam, ergo transfertur dominiū pretii, ergo consensus Superioris fuit

fuit validus: similiter si subditus cū licentia Superioris admittat superflua ab externis, acquirit Monasterio, ergo licentia illa est valida, nec peccat contra paupertatem, si conservet statum pauperis, secundū antedicta, quem conservare potest, licet cum licentia Superioris parvo sumptu conduceret meretricem, uti notat *Lugo* n. 135. Et ideo etiam si Religiosus cum licentia Superioris det externo aliquid etiam ad usum turpem, externum ad restitutionem non obligant *Bann. Lop.* & alii viri docti, quidquid cōtradican̄t *Sib.* *Mol. Rodrig. Sanch. Castrop.* n. 5; notatque *Rebell.* saltem sæpe præsumi Religionem consentire, ne periclitetur fama Superioris vel subditi. *Nec obstat*, quod Superior nō sit dominus sed tantū administrator, ipsi autem non sit commissa potestas sic administrandi, *nam* 1. Saltem Monasterium est dominus, & disponere potest de rebus suis etiam ad usus illicitos, præsumitur autem sæpe consentire, uti notavit *Rebell.* 2. Licet Superior sit tantū Administrator, tamen si nullum Monasterio inde nascatur damnum, nullo jure scitur, esse ejus potestatem restrictam ad solos usus licitos: atque ita potest Superior subdito dare generalem facultatem admittendi omni mense aureum, non restringendo ad admissionem licitam vel illicitam, *Lugo* n. 139. Et quamvis plurimi cum *Sanch.* n. 30. dicant, si Superior det absolutè licentiam, censeri limitasse intentionem ad solos usus licitos, quorum sententiam *Lugo* n. 142. fatetur communem & probabilissimam, tamen dicit oppositum non esse improbableem, quod ut verum absolutè tenent *Bann. Lop. Rebel. Salas*, ac probabile dicunt *Sayr. & Diana*, quia generaliter concedens licentiam vult, quantum potest, tollere impedimentum, quod esset ex defectu licentiæ, relinquendo usum conscientia subditi, sicuti si quis petat à te mutuam vel commodatam pecuniam,

cuniam, das illam generaliter ad omnes usus, nec restringis ad usus licitos, sed neque cooperaris, etiamsi ipse adhibeat ad illicitos: fatentur tamen omnes communiter cum *Sylvio* p. 1. v. *Abbatissa*, Superiorem peccare contra paupertatem, si cum damno Monasterii passim pro sua libertate de ejus bonis sine justa causa disponat: quales autem donationes sint Religiosis illicitæ, dictum est l. 3. p. 2. n. 808.

§. XII. Si Superior antecedens dederit mihi licentiam, valet, etiamsi ipse ab officio decesserit, *Lugo*, *Dicast. Diana* p. 11. t. 8. R. 54. E contra quamvis Superior licite acceptet pro se aliquid, tempore, quo est Superior, ac etiam licite retineat tempore, quo non est Superior, uti rectè *Lugo* contra *Dicast.*, attamen non poterit expendere sine licentia moderni sui Superioris, quia tantum aliis, non autem sibi ipsi poterat delegare seu committere potestatem ad exponendum pro tempore sequenti, cum inter delegantem & delegatum debeat esse distinctio.

§. XIII. Valet licentia prius negata à Prælato Superiore, si nullâ hujus factâ mentione eam obtineas à Prælato inferiore, etiamsi per regulam præscribatur, ut indicetur inferiori, cur negarit Superior; Ratio est, quia inferior habet de se potestatem ad hoc, uti suppono, & ignorantia negatæ ab alio licentiæ habet se per accidens, *Pelliz.* n. 416. Et quamvis Prælati Superior prohibuisset Inferiori dare talem licentiam, attamen adhuc validè daret, dummodo non sit addita clausula irritans factum, quia non ideo erat Prælato inferiori sublata sua potestas ordinaria, multa autem fiunt illicitè, quæ tamen valent, *Pelliz.* n. 436. Et idem est, si per statutum Ordinis prohibeatur, ne Superior det licentiam accipiendi aliquid, v. g. à consanguineis, nam si licentiam det sine causa, tantum agit contra statutum, fortè non obligans sub cul-

pa, sed tantum ex Regula; si autem det cum causa, nullo modo peccat subditus, cum Superior possit ex causa dispensare in ejusmodi statuto: aut saltem acceptare poterit ipse Superior nomine Monasterii, & tum si det subdito, certo evitabitur omnis culpa, *Pelliz.* n. 444.

217 §. XIV. Si Religiosus peregrinus fiat subditus Superiori loci, in quo est, uti fit in Societate JESU, hic potest dare licentiam, ut donet & acceptet, nec opus est postea licentiâ alterius Superioris, *Pelliz.* n. 421. Si autem aliquid donet vel recipiat sine licentia Superioris, quem habet, volens per litteras petere licentiam ab alio Superiore, v. g. à Provinciali vel Generali, quem putat fore faciliorem, dicit *Pelliz.* n. 423. non peccare contra paupertatem sed tantum venialiter contra obedientiam; & ita docet etiam cum aliis *Sanch.* apud *Pelliz.* n. 424. Religiosum non peccare nisi venialiter, si absque ulla venia hujus Superioris acceptet ac retineat aliquid ad breve tempus, quo adveniet alius Superior, vel quo scribat Provinciali.

218 §. XV. Si acceptes rem Superiori tradendam, raro potest esse mortale, *Castrop.* p. 21. n. 5.; si autem absolutè acceptes cogitans donare Titio, cui etiam dones sine licentia, peccas, quia res per acceptationem tuam jam erat Monasterii, è contrà si non acceptes, sed à donante petas facultatem ejus nomine dandi Titio, non peccas, *Suar. Sanch. Castrop.* p. 22. n. 4. *Diana* p. 1. t. 6. R. 8. alique multi; quod verum esse dicunt multi cum *Sanch. Castrop. Diana* p. 3. t. 2. R. 65., quamvis donans non sciat, cui donare velis, sed id tuo arbitrio relinquat, quia relicta tibi sola personæ electio non immutat rem: si tamen tibi det rem, non determinans ejus usum, sed relinquens tuo arbitrio, ut nomine ejus in usum, quem voles, expens

expendas, ita ut etiam tibi possis applicare, *Suar. c. 15. n. 16.* putat te sic acceptando sine licentia Superioris peccare contra paupertatem, sed excusat *Castrop.* supra, si nolis tibi applicare, nisi dependenter à Superiore: hinc etiam *Suar. supra & Lugo d. 2. n. 54.* dicunt, si acceptas cum intentione expendendi nomine donantis in usum aliorum & non in utilitatem vel commoditatem tuam, te nullo modo peccare: docentque universaliter etiam *Sanch. c. 36. n. 4. Diana p. 1. t. 6. R. 29.* & alii nullo modo peccari contra paupertatem, si acceptentur elemosynæ distribuendæ in pauperes etiam non designatos à donante, quia distribuens per hoc nihil dominii acquirit, & jus distribuendi non est dominium nec usufructus nec usus, sed tantum potestas disponendi nomine alieno, quod non facit proprietarium. Vide *Sanchez.*

§. XVI. Si habeas licentiam dandi aliquid *Cajo, 119* & des *Titio*, non peccas, nisi Superior dederit licentiam pro *Cajo* ob peculiarem rationem, negaturus, si petivisses pro *Titio*, *Pelliz. n. 275.*

§. XVII. Si *Titio Religioso* detur licentia dandi *120* aliquid, quod dari solet Religiosis vel externis, hoc ipso secundum aliquos cum *Diana p. 3. t. 2. R. 65.* *Cajus* ejusdem Superioris cum *Titio* subditus habet licentiam acceptandi, quia dare & accipere sunt correlativa, ergo licentia ad unum censetur etiam esse ad alterum; potestque Religiosus, cui volet & solet dari, ejusmodi rem dare, quam habet cum licentia Superioris, & non solet concedi ad usum Religiosi, sed ad distribuendum aliis, *Sanch. Bonac. Pelliz. n. 428.* Similiter habens licentiam generalem acceptandi & dandi, potest vi talis licentiæ emere & vendere, *Lugo, Pelliz. n. 315.* Qui tamen habet licentiam acceptandi & dandi v. g. *Munuscula* aliis, non ideo potest vendere, quia scitur eam non esse mentem Superiorum illa concedentium.

§. XVIII. Habens licentiam quotidie acceptandi medium aureum, si eadem die acceptet à pluribus aut facessivè plures medios aureos, peccat, nam privilegium, quod est contra communem obligationem, est strictæ obligationis, uti dictum est l. r. n. 339. Accedit, quòd moraliter coalescant in unam majorem summam, quàm quæ licita est ei, *Diana* & alii cum *Burgh.* cent. 3. cas. 59. Et ut materiæ leves furti non coalescant, requirunt *Fill.* tr. 31. n. 244. & *Diana* p. I. t. 6. R. 34. saltem medium mensem; & idem putat hic dicendum *Burgh.*, ita ut velit intra duos menses non nisi quatuor ejusmodi acceptationes fieri, licet fortè non semper post unam interlabantur duæ septimanæ.

§. XIX. Si Religiosus mittatur Romam, censetur habere licentiam ibi emendi spiritualia mensecula & distribuendi, cum redierit, dummodo non fiant expensæ admodum excedentes, uti aliis consultis resolvit *Pelliz.* n. 431.

§. XX. Religiosi iter agentes vel extra claustra degentes facere possunt, inprimis moderatas elemosinas, id enim pietati & Religioni conforme est; deinde & donationes aliquas leves pro accepto beneficio, vel pro significatione amicitia, vel pro concilianda aliorum voluntate in favorem Religionis, *Suar.* à n. n. *Castrop.* n. 3.

§. XXI. Si Religiosus administret officium curæ animarum, quod sit beneficium saltem manuale, potest habere administrationem proventuum & etiam bonorum immobilium annexorum, uti probabiliter *Nav.*; si autem id, quodei commissum est, non sit beneficium, sed v. g. Vicaria ab Episcopo non instituta, sed solum constituta ad tempus ob aliquam necessitatem, attamen habens bona immobilia annexa, Superior non potest ei dare licentiam, ut ea ad-

mini-

ministret, *Trid. Sef. 25. c. 2. de Regul.* Si autem non habeat administrationem nisi aliquorum mobilium & emolumentorum, Superior eam concedere potest, *Less. in auct. v. paup. Relig. cas. 4.*

§. XXII. Si Religiosus sine licentia sumat rem è loco publico ac utatur, & postea reponat, *Az. Villal. Faber* dicunt non peccare contra paupertatem, quia non ideo de illa disponit; *Sanch. & Faust.* dicunt peccare, quia usus ipse, qui fit sine licentia, est actus domini, secundum dicta n. 104. : *Diana p. 1. t. 6. R. 40.* dicit utramque sententiam esse probabilem, secunda tamen est probabilior & tenenda, nisi sit licentia generalis vel præsumpta.

§. XXIII. Religiosus longo tempore, scilicet per annum, utens sine licentia re alienâ notabili, aut eam occultans, ne auferri possit, peccat mortaliter, *Suar. Castrop. p. 21. n. 3.*; si tamen habeat palam, etiam si Superior non possit rescire esse alienam, *Az. Coriolan. Homob. & alii cum Diana p. 3. t. 2. R. 65.* dicunt non peccare mortaliter, si velit uti tantum ad tempus; *Castrop.* contradicit, si ad longum tempus uti velit.

§. XXIV. An Religiosus possit inire contractus, & Monasterium ejusmodi contractibus obligetur, videri possunt *Om. de contr. d. 4. f. 8. & Castrop.* hinc d. 3. p. 15. & 16. Et speciatim, si Religiosus ex rebus ad usum sibi concessis mutuet alteri sine licentia, peccat; si tamen certus sit de restitutione & commodet, etiam externo, non peccat mortaliter, quia non transfertur dominium, nec res fit notabiliter deterior, uti suppono, usus autem temporalis non est tanti, ut censeatur esse materia mortalis, *Laym. Sanch. Diana p. 1. t. 6. R. 37. & alii.* Idem de mutuo dicunt *Led. & Pelliz. n. 281.*, quia quamvis per mutuum transferatur dominium, tamen vel hinc non

transfertur, vel cum restitui debeat, nec Monasterio
causandum sit grave damnum per illam carentiam
temporalem, actus ille mutuandi videtur esse quid
leve.

128 §. XXV. Religiosus non peccat mortaliter, si com-
modato accipiat rem, licet magni valoris absque li-
centia, *Pelliz. n. 284.* Aliud est, si accipiat mutuo,
quia tum vult acquirere dominium: putant tamen
Suar. Pelliz. n. 283. non esse mortale accipere 10.
aureos mutuos ad breve tempus: Quod si rem, quam
accipit mutuam, aut quam quomodocumque acce-
ptat absque licentia, non vellet acquirere sibi sed Mo-
nasterio, cui etiam postea extraderet, regulariter lo-
quendo non erit mortale, quia eousque præsumitur
consensus Superioris quoad substantiam, *Suar. Cas-
trop. Pelliz. n. 267.*

129 §. XXVI. Si Religiosus absque licentia pecuniam
alienam permisceat suæ, licet alienæ dominium ac-
quiratur, si permiscens id intendat, secundum dicta
l. 3. p. 2. n. 118., tamen non videtur grave contra
paupertatem, quia commutatio illa est valde mate-
rialis & accidentalis, tenebiturque æquivalentem ex
eodem cumulo restituere, *Lugo d. 6. à n. 162.* Quod
si mel alienum misceret vino suo, ut faceret mulsum,
peccaret contra paupertatem, quia notabiliter im-
mutaret vinum, & Dominus mellis partialiter ac-
quireret Dominium vini, vel saltem Monasterium
obligaretur Domino mellis pretium solvere; talem
autem permutationem non potest facere Religiosus
absque licentia.

130 §. XXVII. Si quis sine licentia permutet cum ex-
terno res sui Monasterii, & Monasterium per hoc
non patiatur damnum, *Lop. Rodrig. Peir. Led. &
alii, quorum sententiam Diana p. 1. t. 6. R. 38. vo-
cat probabilem, dicunt non ideo peccari, quia res
accepta*

accepta videtur esse æquivalenter prior, & adesse censetur interpretativa licentia: Alii cum *Sanch. c. 19. n. 67.* probabiliter contradicunt, quia permutatio est actus domini vel saltem usus rei tanquam suæ.

§. XXVIII. Est contra paupertatem, si Religiosus sine licentia fidejubeat, aut accipiat aliquid conservandum in vim contractus depositi, quia non licet ei tales in se obligationes assumere, *Sanch. Castrop. d. 4. p. 13. §. 4.* Non esset tamen contra paupertatem, si acceptaret aliquid tantum in fidam custodiam, *Castrop. d. 3. p. 21. n. 6.*

§. XXIX. Si Religiosus absque licentia faciat & donet amico, v. g. picturam magni valoris, peccat, quia opus factum statim erat acquisitum Monasterio: si tamen ille amicus antecederet petiisset ac subministrasset materiam, Religiosus autem fecisset pro ipso, non peccaret, quia potest sine licentia operam suam gratis exhibere alteri, *Bonac. Valer. Diana R. 6. Pelliz. n. 295.*

§. XXX. Quoad quantitatem gravem, loquendum esse de Religiosis, sicuti de filiis-familias, docent *Sanch. Rebell. & alii cum Fagund. in Decal. l. 7. c. 5.*, quantum autem requiratur, ut hi censeantur graviter peccare, dictum est *l. 3. p. 1. à n. 1032.* Addunt AA. citati Religiosos Ordinariè censendos esse velut filios hominum mediocriter divitum. *Lugo d. 3. à n. 172.* putat Religiosos non esse omnino æquiparandos filiis quoad materiam paupertatis, eò quòd Superior in illis sit magis invitus, non tam ratione damni temporalis, quàm spiritualis, quod præcipuè cavere tenetur, vide *Pelliz. à n. 254.* Notant autem *Suar. Sanch. Castrop. Fagund. Pelliz. n. 260.* necessariam esse minorem quantitatem, si usurpetur res Monasterii quàm externi, quia Superior ob majus damnum Monasterii est magis invitus.

§. XXXI.

334 §. XXXI. Si quis absque licentia recipiat aut expendat modica usque ad magnam quantitatem, *Nav. Vega. Graff. Carbo, Less.* censent probabile esse ista non uniri, adeoque non peccare mortaliter; sed oppositum tanquam probabilius tenent *Sanch. Fagund.* alique cum *Pelliz.* à n. 257.; excipiunt tamen parva comestibilia, quamvis ab initio esset animus illa profsequendi. Vide dictal. 3. p. 1. n. 1016., quæ hic applicari possunt.

335 §. XXXII. Licentia data ad majorem summam, quam dare possit Superior, juvat saltem ad summam, quæ ejus potestatem non excedit, quia in separabilibus utile per inutile non vitiatur, *Pelliz.* n. 442.

Religiosum posse repudiare donum, non tamen hæreditatem sibi oblatam, dixi l. 3. p. 2. n. 1160.

336 Q. 19. Quid specialiter notandum sit circa paupertatem in Societate IESU, & domos illius professas. R. Seqq.

§. I. In Epitome Instituti pag. 248. sic habetur, gratis dare debemus, quæ gratis accepimus, nec postulando nec admittendo stipendium vel elemosynas ullas, quibus Missæ vel Confessiones vel prædicationes vel lectiones vel quodvis aliud officium nostri Instituti compensari videatur. . . . prohibendumque, ne ullus Superior ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in eo dispenset; declaratum præterea nullius Superioris super ea re vel licentiam vel dispensationem seu licitam seu validam esse: quæ igitur sic donantur, ut conjectura sit id fieri intuitu ministerii, non sunt admittenda, donec donantes planè intelligant accipi non posse, nisi nomine elemosynæ, & secluso omni alio respectu, atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur. Hoc non obstante, imò quamvis in Constit. p. 4. c. 7. §. 3. dicatur non convenire ullam Collegii dotationem
admitti

admitti cum obligatione ad dandum, v. g. Professore Theologiæ, tamen hoc non est contra paupertatem vel Constitutiones, quæ tantum per modum consilii dicunt hoc non convenire, nec ideo pro Ministerio admittitur stipendium, sed ad sustentationem necessariam personæ, *Sanct. Pelliz. tr. 4. c. 2. n. 149.*

§. II. Stipendia acceptata pro missis legendis, vel **137.**
pro peragendis aliis ministeriis Spiritualibus debent restitui ante hæc opera peracta, uti certum est: si autem jam sint peracta, *Sanct. in Decal. l. 7. c. 28. n. 11.* dicit adhuc esse obligationem restituendi, non ex iustitia, sed voto, nec posse tradi Superiori aut expendi in pios usus, quia etiam Superior obligatur voto non admittere, ergo etiam non expendere admittit: Alii cum *Castrop. t. 16. d. 3. p. 11. n. 9.* negant teneri restituere, quia votum tantum obligat, ut non admittas pro ministeriis faciendis, non autem ut post facta restituas, finis enim voti tum cessat, qui est, ut pro ministeriis nihil admittatur, quia gratis administrari debent. Sententia *Sanctæ* videtur probabilior, quia si postea pro eis admittatur stipendium, non sunt administrata gratis.

§. III. Si Titius Sacerdos Societatis legat Missas **138.**
ad intentionem Sempronii Sacerdotis sæcularis, huic relinquens stipendia, quæ acceperat pro Missis legendis, videtur sic distinguendum, 1. Si constituentes Missas specialiter elegerint personam Sempronii (quod ordinariè non est) v. g. quia creditur legere devotius, fieri non deberet, quia sic defraudaretur intentio eorum; at tamen tantum in circumstantia non adeo notabili. 2. Si stipendia multa jam recepta sint à Sempronio, qui nec ea possit restituere, nec satisfacere pro omnibus Missis, Titius posset supplere, quia in istis circumstantiis censetur gratis & ex pura charitate

tate legere, uti ex declaratione *Claudii Aquaviva* colligit *Sanch.* n. 24. 3. Si Titius non recipiat quidem stipendium, attamen circa illud disponat, v. g. dicat Cajo, da stipendium isti pauperi, & ego ad intentionem tuam legam Missam; vel si Sempronio dicat, tu accepta stipendium, ego loco tuo legam Missam, adhuc putat *Castrop.* n. 7. eum licitè agere, quia nec Titius recipit stipendium, nec Cajus illud dat pauperi vel Sempronio nomine Titii sed suo, licet Titius det occasionem, gratis offerendo Missam, non aliter ac si Cajus daret pecuniam pauperi vel Sempronio, quia Titius id ab eo petivisset: sed hæc sententia communiter reprobatur, teste *Pelliz.* n. 137., hinc *Rodrig. Fagund. Sanch.* n. 15. & 16. dicunt Titium illicitè agere, quia sic disponendo circa stipendium per quendam quasi contractum, *facio, ut des*, virtualiter acceptat stipendium, illudque redonat alteri, quorum utrumque est contra votum paupertatis.

839 4. Si Sempronius jam acceptarit stipendium, Titius nihil disponendo circa illud potest licitè loco Sempronii supplere, Missam legendo, ita *Michael Vasq. Salas, Castrop.* n. 8. contra *Sanch.* Ratio est, quia nec acceptatur stipendium à Titio, nequidem virtualiter, cum circa illud nihil disponat; nec in aliquo defraudatur Cajus; eratque Cajo perinde, per quem legeretur Missa. *Conf.* nam si Titius iturus Coloniam, in favorem Sempronii gratis ferret litteras, ad quas ferendas Sempronius esset mercede conductus, utique Titius non ageret contra paupertatem, nec censeretur sibi acquirere & Sempronio donare illam mercedem, quidquid in contrarium dicat *Sanch.* n. 19. Item, si Titius pro Sacellano ex fundatione obligato suppleat in canenda Missa, non peccat fatente *Sanch.* n. 18., quamvis Sacellanus pro hoc habeat suum proventum; idem est, si pro aliquo concionetur,

cur, Confessiones audiat &c., qui inde trahat consueta jura, ergo similiter in nostro casu.

Objicies. Sempronius non habet jus vel titulum retinendi illa stipendia, nisi mediantibus Missis Titii, ergo Titius legens Missas confert illi jus & titulum retinendi stipendia, ac proinde idem est, ac si stipendia illa acciperet & daret Sempronio. *R. N. ant.*, nam jus & titulum retinendi habet ex vi donationis onerosæ, sive contractus innominati, *do, ut facias*, quo obligatur ad Missas per se vel alium legendas, quonere levatur à Titio, qui tantum ponit Missas velut conditionem, sine qua Sempronius frui non posset illo jure & titulo retinendi stipendia.

Instabis. Saltem obstat decretum VIII. Congreg. XII. prohibens ipsimet Generali, ne Missas, quæ ad ejus intentionem celebrantur per Societatem, applicet secundum intentionem cujuscumque alterius, qui inde lucrum aliquod reportare posset aut levare oneribus Missarum. *R. N. ass.*, nam licet id prohibeat Generali, in positivis non valet illatio à majori ad minus, cum possit esse ratio pro uno, quæ non est pro altero; & circa Generalem reipsa sunt aliæ causæ, v. g. ut liberetur importunitate perentium, ut Societati vel alteri fini nos proximius attingenti applicet. Deinde decretum illud est revocatorium illius, quod antea licebat Generali & aliis omnibus, estque etiam odiosum, ergo non est extendendum ad alias personas, sed hæc manent in possessione libertatis ad hoc faciendum salvo voto paupertatis. Videri potest *Lugo* in *Resp. Mor.* l. 4. d. 30.

§. IV. Si quis principaliter voverat curare Missas, & consequenter secundario stipendia pro Missis, quia credebatur se non posse illas gratis habere, poterit Sacerdos Societatis gratis in ejus favorem legere Missas, sicque, qui voverat, poterit retinere stipendia, *Sanch. Pellic.*

117. n. 147. Si autem Sacerdos ad Societatem admissus cum onere Missarum debeat ex acceptis stipendiis; aut jam professus, si post consumpta stipendia non possit per externos eas Missas constituere, potest juvari à Sociis, *Pelliz.* n. 145. 146.

141 §. V. Viri docti è Societate cum *Pelliz.* n. 142. putarunt Sacerdotem Societatis posse titulo gratitudinis celebrare Missas, retento sibi cum venia Superioris stipendio, quod accepit pro constituendis Missis, si adsit probabilitas, quòd is, qui Missas voluit, relictorus ei esset ex gratitudine illam pecuniam, si factum sciret.

142 §. VI. Scholasticus Societatis illicitè, attamen validè disponit de bonis suis sine licentia Superiorum, uti dictum est n. 103. An autem peccet etiam Novitius sic disponens, dictum est n. 102. De cætero Scholasticus à Superiore jussus disponere de bonis suis peccat contra paupertatem, si id non faciat, quia vi voti tenetur non uti re suâ invito Superiore, talis autem retentio est quidam usus sui domini, *Suar. Castrop.* p. 2. n. 4. Et idem est de Coadjutoribus temporalibus non formatis: intellige autem semper, si sine causa detrectent, hanc enim possunt proponere.

143 §. VII. Si quis pecuniam sibi oblatam relinquat depositam apud alium, penes quem pecuniæ dominium remaneat; vel si eam habeat apud se, ita ut dominium spectet ad alium, & nolit eâ uti, nisi petita suo tempore veniâ à Superiore, *Suar. Sanchez. Laym.* l. 4. t. 5. c. 7. q. 1. *Diana* p. 3. t. 2. R. 65. negant esse contra paupertatem, quia non acceptat dominium, usum autem non vult nisi dependenter à Superiore; *Castrop.* dicit esse saltem imperfectum: sed quidquid de hoc sit apud alios Ordines, in Societate statutum est Congreg. 12. decreto 41. ut Superioris licentia, quæ postea ad talem usum daretur, sit nulla & pro-

sus

ius irrita, adeoque talis usus non poterit esse licitus Religioso Societatis.

§. VIII. Quoad quotidiana, videntur hæc ex consuetudine tenenda: 1. Est venia generalis ferendi sua refarcienda ad sartorem vel sutorem, non autem accipiendi nova: si tamen illi ferant, quibus commissa est cura, possumus ordinariè præsumere, quòd cum facultate faciant. 2. Si quis cum venia ferat aliquid ex uno Collegio ad aliud, non est opus ostendere in loco, ad quem venit, sed potest hic uti aut consumere: exceptâ pecuniâ, quæ apud hunc novum Superiorem deponi debet. 3. Ad scripta mutuanda vel donanda censetur esse venia: videtur tamen generalis venia petenda ad pallium, calceos & similia mutuanda, item ad res parvas acceptandas vel dandas. 4. Minister potest dare veniam pro rebus mutuandis, cujuscumque pretii sint: sed communiter non habet nisi ad medium Imperialem in pecunia, aut ad rem illius pretii dandam vel acceptandam.

144

145

§. IX. Si aliqua Confraternitas vel Sodalitas dissolvatur, sacra supellex, quæ huic erat propria, manet ad usum domûs vel Collegii, quia talis præsumitur fuisse voluntas aut esse consensus Sodalium, quamdiu aliud non rescitur, tales enim Sodalitates non sunt corpus stabile, sed manent dissolubiles ad arbitrium Societatis, & si hæc dimittat gubernationem, hoc ipso dissolvuntur, nec possunt ad alium locum pro libitu transire, ergo præsumendum est, quòd dominium ornamentorum acquiratur loco, in quo fuerant erectæ, *Lugo in Resp. Mor. l. 4. d. 12.* Ubi ex occasione notandum est, quòd Sodalitates, ut aggregari possint & frui privilegiis majoris Sodalitatis Romæ, debeant haberi in locis ad Societatem pertinentibus saltem quoad usum liberum, sive per

F

condu-

conductionem, sive per concessionem Domini ad aliquod tempus, ita ut Societas primarium usum habeat cum jure ibi manendi & ceteros expellendi. Vide Lugo d. 40.

146 §. X. Ut magis occurratur occasionibus lædendæ paupertatis, Congregatio 12. decreto 38. sic statuit, *De legatis confidentialibus dubitatum*, nostrisve liceat acceptare legata, quæ confidentialia vocant, cum quis testator decedens jubet certam alicui è nostris pecunie summam, aut rem à suis heredibus dari, quam ille juxta testatoris mentem sibi secretò communicatam impendat: major quidem pars cum Patribus deputatis judicavit, satis & paupertatis observationi & Societatis existimationi consultum videri, si ea tantum legata confidentialia respuantur, ex quibus videatur utilitas aliqua in Societatem ipsam aut in particulares personas redundare, sed cum huic decreto intercessum fuisset, re diu multumque agitata Congregatio omnibus interdixit voluit legatorum hujusmodi executionem acceptare, eaque planè ratione, quæ Const. p. 6. c. 3. §. 7. testamentorum executio prohibetur, his verbis, quoad fieri potest à negotiis secularibus abstineant (qualia sunt testamentariorum vel executorum &c.) nec ea ullis precibus adducti suscipiant &c. Preposito tamen Generali, vel qui ab eo facultatem habet, relinquitur facultas dispensandi in casu aliquo necessitatis vel majoris momenti ad finem divini servitii præfixum; ita declaratio adjuncta. Videri potest Lugo dub. 29.

147 §. XI. Domus professa non est capax ad retinenda bona immobilia aut redditus aut fructus, qui reddituum loco esse possint; est tamen capax propriæ habitationis, villæ vel horti suburbani, uti habetur in Const. p. 6. c. 2. §. 5. Potestque uti fructibus hic

pro-

provenientibus, ut pluribus exponit *Lugo d. 10.*

§. XII. Non est licitum domui professæ fructus horti vendere vel hortum elocare; neque ex uvis facere provisionem vini, neque ex frumentis panem aut cerevisiam, posset tamen feri frumentum, ut à jumentis in herba consumeretur; item est ipsi licitum alere Gallinas & harum ova vel pullos edere; item habere columbas vel apes ad usum domûs; item porcellos, ut suo tempore mactentur; item piscinam, in qua pisces, non tamen in magna copia, adolescant; licitum etiam est habere commune cum alijs jus modicè piscandi in præterfluente amne: quòd si fructus uno anno abundantes non possint à domo consumi, non ideo licitum est vendere ad emenda alia necessaria, uti nec permutare, v. g. uvas cum tritico, quoties enim res est prohibita vendi, etiam censetur prohibita permutari.

§. XIII. Domui professæ licitum est relinquere colono horti fructus, etiam cum potestate vendendi, si volet, ne hortus maneat incultus, retento tamen jure habitationis & recreationis: non est autem licitum accipere unam partem fructum relictâ illi alterâ parte velut in mercedem laboris, id enim esset elocare hortum: imò nec videtur licitum cum colono concurrere ad expensas culturæ, & tum pacisci de parte fructuum habenda, quia esset æquivalenter locatio saltem partis horti: hinc multò minùs licitum est vendere partem fructuum ad solvendam mercedem colono, sed si ex cultura redundet in nos pars fructuum vel utilitas, debet aliunde præstari merces colono. Similiter nec licitum est vendere fructus ad necessarias expensas pro fabrica vel sepimentis horti, nam sic censeremur pro his habere annuos redditus: Ratio omnium est, quia bona mobilia non possunt aliter domui professæ fructificare, nisi ad solos usus ejusdem domûs.

150 §. XIV. Domus professa potest institui hæres aut legataria bonorum etiam immobilium, dummodo hæc alienet & se exuat omni jure civili ad illa, quam primum commodè potest: si tamen desit emptor, potest retinere ad modicum tempus, quale censetur, quod est infra decennium *Lugo d. 11.*; Quod si ei legetur, v. g. domus, non poterit hanc vendere Titio ad vitam cum potestate recipiendi dominium post mortem Titii hoc enim esset vel elocare accepto semel & simul illius temporis locagio, vel vendere solum dominium utile retento dominio directo proprietatis: imò nec videtur esse licitum vendere cum pacto retrahendi, quando volet pecuniam refundere, quia sic re ipsa non planè alienaret nec se exueret omni jure civili ad illam: potest fortè excipi, nisi talis res non esset quidem nunc, attamen prævideretur futura postea necessaria ad usum, v. g. ad construendum novum ædificium, augendam recreationem, instituendum Collegium, posset enim censeri tum retineri ad usum proprium, imponendo emptori solam obligationem personalem ad revendendum.

151 §. XV. Si testator obliget hæredem ad offerendos pro elemosyna omni anno 100. aureos domui professe, hæc potest acceptare, quia per hoc ipsa nullum jus vel actionem acquirit, sed hæres habet obligationem ad solum testatorem, *Lugo dub. 7.* Si tamen testator relinqueret hæreditatem Collegio cum obligatione annuè numerandi 100. domui professe, *Constit. p. 6 c. 2. §. 2.* id prohibent, etiamsi esset ad conservationem templi à testatore fundati, quia non voluerunt penes Societatem esse ullam actionem, dispositionem aut dispensationem ejusmodi rerum domui professe applicandarum; uti exponit *Lugo d. 8. & 9.*; gravari tamen potuit Collegium ad ædificandam domum professam, uti admittit *Lugo à n. 10. §. XVI.*

§. XVI. Missionarii, quamvis sint professi, possunt habere redditus, etiam non annexos certo Collegio, nisi mediatè, in quantum personæ ipsorum ad certum Collegium spectant; nec est opus, ut vel ipsi Rectori Collegii, vel Collegium de eorum redditibus reddat rationes, sed satis est reddi Provinciali. Similiter ejusmodi Missionarii quoad contractum censuris aliosque similes possunt, quod rectores; non videntur tamen sine licentia Provincialis posse elocare in perpetuum aliqua accepto nunc simul pretio, quia hoc est in grave præjudicium secutorum: & hæc conformia sunt praxi, uti responderunt mihi viri docti antehac Missionarii, & judicarunt Theologi à me interrogari.

Q. 20. Quid circa votum castitatis in Religione sit præterea notandum. R. seqq. 153

§. I. Certum est ex communi sensu fidelium, quòd votum castitatis in Religione, imò & in sæculo emissum, se extendat, non tantum ad cavendos actus luxuriæ consummata, id est, in quibus intervenit voluntaria effusio seminis etiam extra vas, sed ad alios quòque motus & delectationes venereas cavendas, uti demonstrat Cardenas in 1. crisi d. 36. Nec obstat, quòd S. Th. 1. 2. q. 143. a. un. O. ponat hoc discrimen inter castitatem & pudicitiam, quòd castitas sit circa illa, quæ ordinantur ad generationem, pudicitia autem circa delectationes circumstantes, puta, quæ sunt in osculis, tactibus, amplexibus, nam satis se explicavit postea q. 151. a. 4. docens pudicitiam versari circa omnia venerea, & pudicitiam ordinari ad castitatem, non quasi virtus ab ipsa distincta, sed quòd pudicitia magis respiciat hujusmodi signa exteriora; si autem respiciat magis, ergo saltem minus respicit alia venerea: hinc a. 2. dicit, quòd castitas proprie sit specialis virtus, habens sibi oppositam specia-

specialem malitiam, scilicet concupiscentias delectabilem, quæ sunt in venereis. Adde, quod per castitatem Religiosam intelligat *S. Tb.* continentiam, nam q. 186. a. 4. ait, continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis sicut & voluntaria paupertas; atqui q. 155. a. 2. docet materiam continentia universaliter esse concupiscentias delectabilem tactis in venereis, ergo.

54 §. II. Etiam certum est, quod castitas, quæ vovetur, se extendat ad actus internos luxuriæ cavendos, nempe delectationes & desideria purè interna, uti habet communissima cum *Carden.* Ratio est, quia vovens se obligat ad castitatem, secundum receptam ab omnibus in Ecclesia significationem hujus nominis, *castitas*, quæ comprehendit omnes actus continentos sub 6. & 9. præcepto Decalogi; citatque *Carden.* n. 90. auctores 22., qui vel in terminis asserunt id esse certissimum, vel omnino supponunt nec dubitare audent, ex quo consensu Theologorum fit evidentia moralis, ergo licet *Caram.* & unus Summistæ contrarium teneat, opinio eorum non est probabilis. *Conf.* quia in quæstione, quæ dependet à significatione vocis, communis sensus omnium vel serè omnium facit evidentiam moralem, talis autem est hæc quæstio; & eodem argumento evincitur, quod votum jejunii comprehendat abstinentiam à carnibus, quia vox, *jejunium*, etiam illam significat, de essentia enim vocis significativæ ut talis, est communis usurpatio, communis autem usurpatio vocis, *castitas*, est abstinentia ab omnibus venereis, ergo.

Objicies. S. August. contra Julian. l. 4. & de Civit. l. 1. c. 18. vocat pudicitiam virtutem animæ, virginitatem autem sive castitatem vocat rem corporis, atqui non vovetur pudicitia, sed virginitas aut castitas, ergo. *R. 1.* Non voveri virginitatem sed castitatem,

castitatem, quæ cum pudicitia respicit etiam interna.
 R. 2. S. Aug. non dicit pudicitiam differre à vir-
 ginitate, quæ est virtus, sed ab ea, quæ est integritas
 corporis, cum virginitas, quæ est virtus, non possit
 violenter auferri, possit autem auferri, prout est in-
 tegrilas corporis, secundum dicta l. 3. p. I. n. 917.,
 ideo autem S. Aug. dicit pudicitiam esse virtutem
 animæ, quia recipitur & conservatur in anima, ne-
 que potest ab extrinseco tolli, uti tolli potest virgi-
 nitas corporis, sed ex hoc non sequitur, quod pud-
 icitia non respiciat delectationes etiam externas, uti n.
 154. dictum est. Adde, quod castitas, quæ vovetur,
 secundum S. Aug. etiam sit virtus animæ, nam l.
 de mendacio c. 19. ait, *consensio ad impudicitiam
 corporalem, castitatem animi violat*, & c. 20. ac
 alibi sæpe repetit has voces, *castitas animi*: Et cap.
 7. 19. & 20. dicit, *corporalis ergo pudicitia cor-
 rumpi, nisi in animo, non potest*, quia nempe est
 corporalis terminativè & subjectivè in animo; &
 ibidem octies repetit pudicitiam corporis: & Epist.
 109., *ne dicatis vos habere animos pudicos, si ha-
 beatis oculos impudicos, quia impudicus oculus im-
 pudici cordis est nuntius*, ubi impudicitia, non solùm
 cordi, id est, internis affectibus tribuitur, sed etiam
 oculis corporeis. Denique Tom. 9. l. de 12. abusio-
 num gradibus, gradu 5. dicit duobus modis consta-
 re veram pudicitia exercitationem, corporis habitu
 in superficie & animi affectu interno.

§. III. Probabile est, quod votum castitatis Re- 155
 ligiosæ etiam versetur circa actus, qui terminantur
 ad impudicitiam alienam, ideoque Religiosum, qui
 etiam sine propria delectatione concurrat proximè
 & immediatè, v. g. per tactum, ad pollutionem ho-
 minis secularis, violare votum suum castitatis, ita
 Carden. dicens sententiam oppositam esse damna-

tam à S. fidei tribunali. Ratio est, quia qui utitur membris suis ad impudicitiam mortalem, etiam sine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam castitatem, sed qui tactu provocat alterum ad pollutionem, sic utitur membris suis, ergo. *Major prob.*, quia si femina aut mas sine delectatione propria admittat alterum ad vas naturale vel præposterum, quia utitur vase suo ad impudicitiam mortalem, peccat mortaliter contra propriam castitatem, & committit fornicationem vel Sodomiam, ergo. *Conf.* quia si quis absque delectatione propria dormientem tactu provocet ad pollutionem, peccat mortaliter contra castitatem; idem docet *Sanch.* de Matr. l. 9. d. 23. n. 6., si quis fatuos conjungat ad copulam: sed talis non peccat contra castitatem alienam, quia dormientes & fatui non peccant, ergo contra propriam: imò licet probabilis sit sententia *Sanch. Castrop. Arriaga, Pelliz. & Caram.*, Religiosum, qui ex odio vel invidia desiderat impudicitiam alienam, aut suadendo inducit sæcularem ad eam sine delectatione propria, non peccare contra votum suum, contrarium tamen veluti probabilius tenet *Carden.*, quia votum castitatis Religiosæ est de materia omnimodæ castitatis, uti habet communis sententia relata n. 3., atqui in omnimoda castitate continetur castitas averfans actus versantes circa luxuriam alienam, ergo. Adde, quod is non fit verè mente castus, qui desiderat fornicationem alienam, vovemus autem castitatem etiam mentis; & hoc habet speciale castitas, ut actus averfans luxuriam alienam censeantur actus castitatis propriæ, quia nempe voluntas luxuriæ alienæ est contraria puritati mentis propriæ, ergo.

Objicies. Ergo si religiosus sine ulla delectatione propria procurer in bestia effusionem feminis; aut
 saltem

saltem si faciat, ut conjuges sibi reddant debitum, peccabit contra castitatem propriam. 2. Ergo similiter peccabit Religiosus contra votum paupertatis vel obedientiæ, si faciat, ut alter sit proprietarius vel inobediens; item peccabit contra præceptum Missæ die festo, qui postquam audivit Missam, causa est, ut alter Missam non audiat. *R. ad 1. N. sequel.*, quia tales effusiones feminis nequidem materialiter sunt malæ, sed in brutis est merè naturalis & incapax inhonestatis; in conjugibus autem est honesta, ergo concurrendo ad illas sine delectatione propria non est contra castitatem. *Ad 2. Etiam n. seq.*, disparitas est, quòd voveatur castitas corporis & mentis, huic autem repugnat inductio ad luxuriam alienam: è contrà non vovetur paupertas vel obedientia mentis, sed hæ spectant tantum ad perfectionem illorum votorum: similiter præceptum Missæ, quo obligor, tantum tendit ad auditionem à me ponendam: & ita similia vota aut præcepta interpretatur communis sensus omnium, de voto autem omnimodæ castitatis aliter censent.

Instabis. Nemo vovet castitatem alienam aut procuracionem castitatis in alio, ergo nec peccat contra votum, faciendo alium esse luxuriosum. *R. N. conf.*, castitas mentis, quam vovet, id comprehendit, ut non intendat luxuriam alienam, uti antè dictum est.

§. IV. Peccat contra suum votum castitatis, qui 156
se exponit periculo illud per seipsum violandi, uti ex communi doctrina de periculo, dicitur l. 5. à n. 252.; Docetque *Carden.* d. 39. tanquam probabilius, & conformiter ad hæc dicta n. 156., quòd etiam ille peccet contra suum votum castitatis, qui alterum exponit periculo violandi castitatem, quamvis in hoc postremo alii contradicant.

157 §. V. *Sanch.* de Matr. l. 7. d. 27. n. 13. & alii cum *Diana* p. 6. t. 7. R. 51. dicunt Titium invalidè professum teneri ad perpetuam castitatem ex voto simplici castitatis, quod includatur in voto solenni; sed si ratio valet, ergo etiam ex voto simpliciter tenebitur ad paupertatem & obedientiam, quod nemo dicet, simili enim modo vovit omnia: itaque dicendum est cum *Suar.* de Relig. T. 3. l. 7. c. 2. à n. 14. consulendam esse intentionem Titii, si enim non intenderit se obligare ad castitatem, nisi in Religione, est liber, nec professio habet ullum effectum, uti etiam declarat *Trid.* Sess. 25. c. 15. de Regul. Et idem est, si Titius professus sit invalidè in hac Religione, nam non ideo tenebitur ad aliam, quia licet *Cap. Porrectum*, de Regal., & *Cap. Constitutionem*, de Regul. in 6. dicatur teneri ingredi aliam Religionem, hoc intelligitur, si proficiens in hac Religione, intenderit se obligare ad Religionem, non autem, si intenderit se obligare ad hanc præcisè, aut alioqui ad nullam aliam: & simili modo explicandum est *Cap. Quidam* & *Cap. Places*, de Convers. Conjug., ubi dicitur, qui vivente conjuge professus est in Monasterio, altero mortuo teneri ad castitatem.

158 Q. 21. *Quid circa votam obedientiam Religiosa sit præterea addendum.* R. Seqq.

§. I. Subditus tenetur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, quamvis subdito probabilius sit illud esse illicitum, uti ostendimus l. 1. à n. 432. Item tenetur obedire in dubio, an legem ferens sit legitimus Superior, si hic Superior habeat possessionem sui officii, uti dictum est ibidem n. 592. Item in dubio, an Superior habeat potestatem hoc imperandi, aut an lex sit justa, secundam ibidem dicta à n. 594. Non tamen tenetur obedire, si tam Superior quam subditus dubitet, an hoc, quod imperat, sit illicitum,

citum, uti ibidem dictum est n. 595. Quamvis autem *Lugo* de just. d. 18. à n. 21. & pluribus in *Resp. Mor.* l. 3. d. 19. contendat, etiam posito præcepto Superioris posse subditum manere dubium, an liceat exequi rem præceptam, si nempe non fiat ei probabile saltem per ipsam auctoritatem Superioris, quod res sit licita, ideoque dicat subditum non teneri tunc obedire, quia cum non possit judicare esse probabile, quod sit licitum, manebit practicè dubius, est autem illicitum operari cum dubio practico. Contra tamen est, quia subditus, per se loquendo, licitè non potest manere practicè dubius, sed debet judicare, quod objectum tale sit licitum, quia in dubio præsumptio stat pro Superiore, quod præcipiat licita, nisi constet esse illicita, uti dictum est l. 1. locis citatis.

§. II. Rem indifferentem posse per præceptum Superioris fieri materiam illius virtutis, ex cuius motivo præcipitur, diximus l. 1. à n. 624. Disputat etiam fuse *Carden.* in 1. crisi d. 28., an possit Superior sub obligatione præcipere aliqua ultra Regulam & ultra media ad eam observandam necessaria, adeoque an habeat auctoritatem non restrictam ad hoc vel illud; & concludit posse præcipere ea, imprimis quæ Deus & Ecclesia etiam præcipiunt; deinde etiam alia, quando per Regulam datur libertas condendi nova statuta aut etiam alia præcipiendi: de cætero tenet communis cum *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 4. Superiorem non posse præcipere ea, quæ sunt absolute extra Regulam; posse autem per reformationem præcipere ea, quæ sunt conformia Regulæ antiquæ: similiter posse graviter obligare ad ea, quæ sunt in Regula, quamvis hæc graviter non obliget, probat fuse *Carden.* totâ disp. 30. Videri potest *Castrop.* p. 5, ubi in particulari examinat, quæ
159

nam præcipi possint Religioso. Vide dicta n. 68. in fine.

160 §. III. Si in Monasterio, quod Episcopo subiectum est, contraria præcipiant Superior & Episcopus, subditus in illis, quæ spectant ad Regulam & statuta Ordinis, tenetur obedire Superiori, quia in huius manibus vovit obedientiam secundum Regulam; in aliis autem, quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, tenetur obedire Episcopo, quia quoad illa est Superior ipse Episcopo subiectus, *S. Th. Ang.* alii- que cum *Sylvio* p. I. v. *Abbas* cas. 3. si tamen Episcopus cum causa rationabili dispenset circa statuta, & tam præcipiat, debet obedire Episcopo; non item, si sine causa dispenset. Quod si Religiosi sint subditi Episcopo velut Prælato, ita ut ei emittant votum obedientiæ, debent quoad omnia magis obedire Episcopo, quàm aliis Superioribus subordinatis, *Sanct.* in *Decal.* l. 6. c. 1. n. 11. & 12. Notatque etiam rectè *Sylvius* v. *Appellatio*, si subditus injustè gravetur à Superiore, posse appellare ad Episcopum, cuius iurisdictioni subest Monasterium. Et de potestate appellandi videri potest etiam *Castrop.* p. 15.; de poenis autem, quas infligere possunt Superiores, agit fuscè p. 14.

161 §. IV. Voluntas Religiosi ita est ligata, ut nequidem sepulturam possit eligere, uti fuscè deducit *Castrop.* p. 13. §. 8.

Circa alia vota & præcepta, quæ votis substantia- libus adjici solent in Societate *JESU*, videri potest *Castrop.* totâ d. 5.

162 Q. 22. Quid notandum sit circa votum non procurandi nec acceptandi Prælaturam vel Dignitatem. R. seqq.

§. I. Prælatus strictè dicitur, qui habet curam animarum cum iurisdictione, ita ut possit subditos corri-

corri-

corrigere & punire, AA. cum *Less.* in auct. v. *Prælati* cas. 1.; Hinc docet *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. dub. 36. ex declaratione *Vrbani VIII.* per Prælationem intelligi quodcumque officium de jure, usu vel consuetudine habens annexam jurisdictionem Ecclesiasticam, quale quid est etiam Officium Guardiani, Prioris, & in Societate *JESU* Visitatoris, Vice-Rectoris, non tamen Ministri, Professoris, Procuratoris etiam Romam mittendi &c. Vide *Castrop.* t. 16. d. 5. p. 5. n. 6. Per Dignitatem extra Religionem intelligitur etiam Vicariatus Episcopi; Item secundum *Castrop.* p. 6. n. 3. quævis Dignitas etiam in Collegiata tantum Ecclesia, quamvis jurisdictionem non habeat annexam.

§. II. Si Religiosus voverit nequidem indirectè 163
 prætere Prælationem, uti voverit professi Societatis *JESU*, non peccat, quamvis internè appetat, dummodo externè non manifestet, *Suar. Vasq. Sanch. Castrop.* p. 5. n. 2. Putat autem *Suar.*, si actiones externæ de se indifferentes eo fine fiant, ut Superior moveatur ad dandam Prælationem, peccari contra votum, uti & tum, inquit *Less.* cas. 3., si ideo dentur munuscula, vel præstentur officia, quæ alioquin non præstarentur, sed *sanch. & Castrop.* n. 3. rectè contradicunt, nisi ex circumstantiis possit colligi ambiciosus animus, alioquin non censuris ambire apud homines, quod solum est turbativum regiminis & offensivum communitatis: hinc si tale externum obsequium, quod præstas potenti promovere, æquè soleat præstari ab alio, & à te nunc præstetur, quia tuum est servire, quamvis nunc per illud obsequium intenderes benevolentiam promotoris, non videtur fore contra votum, inquit *Less.*, quia actus ille censetur procedere ex debito officii, & illa tua ambitio esset merè interna.

§. III.

164

§. III. Si videas te eligendum in Priorem vel Definitorem, non poteris salvo voto agere, ut eligaris potius in Definitorem, sic enim prætenderes officium cadens sub votum, *Less.* Nec potes alteri dare tuum suffragium pro uno officio, ut per hoc alterum officium in te cadat, sed debes sincerè dare suffragium, uti ratio postulat & aliàs fecisses: si autem detur tibi optio, ut præsis uni loco è duobus, si debebas præesse alterutri, potes eligere, quem voles; electus tamen ad unum non potes agere, ut transferaris ad alterum, sed posses petere omnino liberari, aut si id obtinere non posses, ut ad alium locum transferreris, ubi melius Deo servire posses, *Less.* suprà. De ambitu pro incerta persona, videri potest *Lugo* dub. 25.

165

§. IV. Si voverit nequidem acceptare Prælationem vel Dignitatem extra Religionem suam, nisi cogatur præcepto illius, qui sibi id sub peccato mortali præcipere potest, per hunc potentem præcipere intelligitur solus Papa, uti declaravit *Vrb. VIII.* apud *Lugo* l. 3. d. 4. n. 19. & l. 4. d. 36. Ratio autem est, quia Prælati Regulares non possunt præcipere nisi ea, quæ retentâ regulari subjectione ad ipsos, possunt impleri, hinc præcipere non possunt id, per quod quis ab eorum jurisdictione eximitur, id enim esset dicere, quia es meus subditus, præcipio tibi, ut non sis meus subditus: & ideo nequidem Generalis Ordinis potest præcipere, ut quis acceptet beneficium curatum vel simplex, nisi sit regulare ejusdem Religionis, *Nav. Suar. Sanch. Castrop.* d. 4. p. 5. n. 3., quia nempe per tale beneficium constitueretur extra observantiam Ordinis & Regulam: similiter quamvis Generalis possit Scholastico Societatis *J E S U* dare facultatem transeundi ad sæculum vel ad alium Ordinem, tamen non potest ista præcipere, uti rectè *Castrop.* suprà, & pluribus *Lugo* l. 3. d. 4. à n. 6. Posses autem

autem Papam ista omnia præcipere, fuscè demon-
strat Lugo dub. 5., quia remanet subiectio ad Papam;
Et n. 14. docet cum *Suar.*, si quis è Societate JESU
jam factus sit Cardinalis, posse non obstante voto
acceptare Episcopatum, imò & Papatum, quamvis
necdum sit Episcopus vel Cardinalis sed adhuc solum
professus Societatis; attamen à n. 15. ostendit non
posse hoc alicui præcipi per Collegium Cardinalium.

§. V. Si quis ab Ordine, ubi est tale votum non
acceptandi dignitatem, transeat ad Ordinem, ubi
non est, manet obligatus priore voto, uti declaravit
Urbanus VIII. apud Lugo supra n. 1. 166

Q. 23. An possit quis absolvi à votis Religiosa
professionis. R. Vota substantialia Religionis tolli
non possunt ab illo, qui sit Papâ inferior, uti habet
Trid. Ses. 25. c. 1. de Regul., quia cum per approba-
tionem & confirmationem Papæ vna habeant,
inferior non potest ejus dispositionem tollere. Nec à
Papa irritari possunt, quia potestas irritandi prove-
nire deberet à Statu, quem Professus inivit per vota,
sed nemo potest dare potestatem ad desitionem &
interitum sui, ergo: imò nequidem Papam posse
ea commutare aut dispensare, docent *S. Th.* 2.2. q. 88.
a. 11. *Arrag.* & alii, 1. quia Cap. *Cum ad Monasteri-*
um 6. de statu Monach. dicitur, *abdicatio proprie-*
tatis sicut & custodia castitatis adeo est annexa
Regula Monachali, ut contra eam nec summus Pon-
tifex possit licentiam indulgere: 2. Quia Professus
est per vota traditus Deo; item consecratus Religioni,
res autem semel tradita non potest revocari, & semel
consecrata, quamdiu manet, non potest consecratio-
nem amittere, ergo. Oppositum tenuit aliquando
S. Th., & constanter tenent *Dur. Val. Suar. Az.*
Less. aliique plurimi cum *Sanch.* de matr. l. 8. d. 8.
n. 7. & *Castrop.* w. 16. d. 5. p. ult., quia licet hoc non
possit

possit ordinariè & ex privata causa, neque in sensu composito status Monachalis, quod videtur velle decretalis citata, attamen exigente causâ publicâ & gravissimâ potest permittere, ut Religiosus professus uxorem ducat, sicque à se dividat statum Monachalem, cum enim Deus exigente necessitate remittet jus acquisitum, & desinet consecratio per revocationem deputationis ad usum sacrum, & per conversionem ad usum profanum. Videri possunt *Suar. de Relig. T. 3. l. 9. c. 26. & Sanch. supra.*

- 168 Q. 24. *Quid notandum sit circa exemptionem quorundam Regularium. R.* De hac fusè agit *Sanchez* in *Conf. l. 6. c. 9. dub. 1. & seqq.*, apud quem videri possunt hæ assertiones deductæ & probatæ. 1. Regulares jure communi eximuntur à Dioecesana lege, ad quam spectat convocari ad Synodum, ad sepulturas, ad solutionem alicujus rei in signum subjectionis, decimationum, hospitiorum &c.; jure tamen communi non eximuntur à lege jurisdictionis, ad quam pertinet examen pro Ordinatione vel cura, datio curæ, prædicatio Evangelii, punicio delictorum &c. 2. Pleræque Religiones nunc exemptæ sunt à jurisdictione Ordinariorum, & nequidem ratione uniformitatis obligantur præceptis Episcopalibus, exceptâ celebratione festorum & cessatione à Divinis tempore interdicti: potest etiam Episcopus agere contra exemptos in delictis publicis vel contractibus extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam factis; in causis mercedum & miserabilium personarum; item si turbent ejus jurisdictionem: item potest componere controversias eorum circa præcedentiam, & adigere ad processiones, exceptis
- 169 Monachis reclusis & Societate J E S U. 3. Si timeatur fuga, potest exemptus in gravi delicto deprehensus capi ab Episcopo, sed intra 20. horas extradi debet
- Super-

Superioribus: potest etiam Episcopus capere apostatam. 4. Novitii volentes manere in Religione exempta gaudent exemptione. 5. Exempti non tenentur ad jus reverentiale, id est, ad obviandum Episcopo introcunti. 6. Nequit Episcopus in Ecclesiis exemptorum, si inviti sint, convocare processiones, celebrare Ordines, Missas, officia judicium; nec visitare, nec compellere, ut in Monasterio vice carceris retineant reum, etiam Ecclesiasticum. 7. In dubio, an jurisdictio contra exemptos pertineat ad Episcopum, judicat solus Papa. 8. Exempti non possunt resignare beneficium nisi in manus Papæ. 9. Omnes exempti manent subjecti Nuntio à latere vel habenti hujus potestatem.

Q. 25. *Qua officia & actiones specialiter prohibeantur Religiosis.* R. 170

§ I. Religiosus non potest esse Judex negotii forensis aut Ecclesiastici, nisi cum licentia Superioris saltem localis, & utilitate saltem indirecta Monasterii, Cap. 35. *Monachi*, 16. q. 1. Quod extenditur etiam ad Canonicos Regulares, Cap. *Ex parte*, 2. de postulando, *Sanch.* aliique cum *Castrop.* tr. 16. d. 4. p. 12. §. 1. Similiter non potest nomine proprio in civilibus esse actor vel reus, cum nec agere nec conveniri possit, sed solum Monasterium, cui se dedit, uti habent jura & AA. cum *Castrop.* §. 2. Nec fungi potest officio advocati, procuratoris, tabellionis, restis, exceptis casibus, de quibus *Castrop.* §. 3. & 4. Nec tutoris aut curatoris, Cap. *pervenit*, dist. 86. vide *Castrop.* §. 7.

§. II. Prohibentur etiam Religiosis actiones extrajudiciales, nisi Superiores dispensent, nam esse non possunt executores testamentarii, *Castrop.* p. 12. §. 1. Nec Medici vel Chirurghi, præsertim si facienda sit incisio aut adustio: possunt tamen Religiosi

G

Socie-

- Societatis JESU medicinæ periti mederi, si alii desint, dummodo per seipsos non faciant aduersionem, *Castrop. §. 2.* Quomodo autem his prohibeatur executio testamenti & legati confidentialis, dixi n. 146.
- 172 §. III. Religiosis sub excommunicatione prohibitum est audire in scholis lectiones juris civilis, *Cap. fin. ne Clerici vel Monachi, Sanch. Lex. Lugo in Resp. Mor. l. 4. d. 34.* Potest tamen Religiosus audire & docere Canones, sed professor Canonum in Societate JESU non debet in schola tradere eas materias, quæ spectant ad forum contentiosum, nisi obiter attingendo, quantum ad forum conscientiae possunt conducere, *Const. p. 4. c. 12. §. 1. Lugo supra*
- 173 §. IV. Etiam negotiatio prohibetur Religiosis, secundum dicta l. 3 p. 2. à n. 997. Item venatio, uti dicemus à n. 1375., Item lusus alearum, uti dicemus à n. 1373., talia enim, quæ Clericos, multò magis dedecent Religiosos; notantque *Nav. Val. Suar. & alii cum Castrop. §. 5. n. 2.* nomine Clericorum venire etiam Religiosos, quando prohibitio respicit decentiam status.
- 174 §. V. In Societate JESU sic statuit Congreg. 2. Decreto 60. *quemadmodum hætenus factum est in quibusdam locis, ut nostri ita examinent ad Ordines promovendos, aut curæ animarum, verbo Dei vel confessionibus audiendis præficiendos, ut simul judicium ferant de illorum sufficientia & admissione, ita de cætero ne fiat, quandoquidem judicamus non esse consentaneum nostro Instituto; illud tamen retineamus, ut judicium de admittendis vel non admittendis non feramus, sed illud omnino Prælati relinquamus; possit tamen dispensare R. P. Generalis, ubi hoc utile & expediens esse in Domino judicaverit.* Videtur autem dispensasse,

falle, saltem pro his Dioccesibus, in quibus iudicium nostrum exquiritur.

DUBIUM V.

175

Qui possint, vel teneantur ingredi Religionem.

Resp. I. Omnes illi & soli possunt ingredi Religionem, qui sunt sui juris, nec aliis obstricti; qui verò aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. *Less. l. 2. c. 41. d. 3.*

Unde 1. Non possunt ingredi Religionem im- puberes; quia subsunt parentibus vel tutoribus, quoad vitæ dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. *Lay. l. 4. t. 5. c. 4. n. 1. su- præ i 3 rr. 3. c. 2. d. 1.* 3. Nec servi, sine consensu dominorum. 4. Nec qui decepit virginem sub promissione matrimonii. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus; modò in sæculo manendo, possit intra paucos annos solvere. *D. Thom. ta- men, Sylv. Fumus V. Religio, & alii,* putant illum posse bona præsentia cedere creditoribus, quia persona hominis liberi non est pro pecunia obliga- ta. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papæ, cui iuramento se obstrinxit: præterquam quòd sit obstrictus suæ Ecclesiæ, sicut maritus uxori. 7. Nec conjuges, post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis à jure conceduntur; aut nisi alter conjugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi posset.

Resp. II. Qui vovit Religionem, tenetur ingredi secundum sequentes Regulas:

I. Non tenetur, imò nec potest licitè ingredi Ordinem, in quo collapsa est disciplina Regularis, idque ob periculum perversionis. *Lay. c. 6. n. 5.*

G 2

II. Qui